



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Debitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



## Debitum.

Debitum solvendum æstimatione monetæ tempore contractus.

Qui debet monetam ferri metalli, in ea solvat, vel ejus æstimationem in tempore solutioni præfixo.

Si debita pecuniæ mutata est materia, vel pondus, solvenda est æstimatio temporis contractus; quod si solum sit pretium mutatum, ante moram prodest id, & nocet creditori, nisi aliud sit conventum; post moram verò solvenda est æstimatio temporis, quo solvi debuit. Quidam tamen dicunt solvendam maximo pretio, quo valuit post moram. Vide Tolet. l. c. c. 34.

Res in specie debita missa ad ejus dominum, per hominem, vulgo fidelem habitum, domino perit; quod si mittens mala fide possidebat, ei perit, quia fuit in mora. Perit etiam domino, si apud debitorem perit ante moram sine ejus culpa, dante causam interitui. Vide Nav. c. 17. n. 185.

Pecunia debita perit creditori, qui eam tempore opportuno noluit recipere, & deposita est apud honestam personam; item, si absente creditore consignata est judici, vel deficiente iudice, honestis personis. Vide Nav. c. noli putare, de pœnit. dist. 1. n. 9.

Debitum alicui ex promissione, vel juramento, non debetur heredibus ejus, si is, qui promisit, in illius tantum personam intendebat.

Qui furatus est pecuniam, solum ejus valorem debet, non autem quod ex ejus negotiatione, aut permutatione lucratus est; nisi creditor itidem fuisset lucraturus. Tol. l. 5. c. 22.

Potest creditor petere debitum ante tempus à debitore suspecto.

Debitum tibi si non potes aliter commodè recuperare, potes clam tollere; modò cures, ne creditor iterum solvat, & id fiat sine scandalo, vel sine periculo tuo, vel alienæ famæ, aut vitæ. Neque teneris revelare, etiam si prælatus præcipiat sub pœna excommunicationis, si est probabile, quod revelans cogaris restituere. Imò neque tenentur alii, quicumque sciunt, si certò sciunt, te hoc modo justè accepisse. Syl. vers. furtum. q. 15.

Si creditor est in eadem necessitate cum debitore, red-



dendum ei id, cuius non fuerat translatum dominium, Potant & quidam etiam aliud debitum quodvis reddendum, nisi extrema sit debitoris necessitas, in qua etsi antea se redditurum jurasset, non teneri; intelligebat enim, ni extrema premèret necessitas.

Si utriusque necessitas extrema sit, 4. *dist. 16. q. 2.* Richardus alii creditori reddendum censent; contrarium ait Sot. *l. 4. q. 7. art. 1. col. 19.* cum D. Cajetan. Lopez *p. 1. c. 13. in fin.* Navar. *l. 7. n. 60.* Tol. *l. 5. c. 24. n. 8.*

*Debitum conjugale.*

Vide v. *Matrimonium, Votum.*

*Decalogus.*

Vide v. *Charitas, Fides, Idololatria, Schisma, Spes, Superstitio.*

Quæres: Quare præcepta Decalogi sint forma negandi ferè expressa. Resp. Id factum esse tribus de causis: 1. Quia ea forma valet ad coercendos impios à flagitiis; unde Paulus *1. rim. 1.* dicit, legem iusto non esse positam, sed iniusto. 2. Quia negatio latius patet, quàm affirmatio; ut præceptum de non habendis diis alienis, quàm de uno colendo. Nam Samaritani præter unum Deum Judæorum colebant deos suos, ut est in *lib. Reg. 3.* 3. Quia negatio apertè includit affirmationem: si enim non habendi sunt dii; ergo unus colendus pro Deo; & si committendum furtum non est; ergo debemus contenti esse præsentibus, & restituere quod furto subtrulimus. Similiter sub affirmatione continetur negativum, ut sub præcepto honorandi parentes, continetur præceptum de iisdem non contemnendis. Hoc tamen differunt negativa ab affirmativis, quòd affirmativa quidem obligent semper; sed non pro semper, id est, omni tempore; non enim teneor omni momento temporis honorare parentes: negativa autem obligant semper, nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa omissionis, hæc commissionis peccato violantur.